



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XI. Proponitur quæstio de cultu Sanctoru[m], cum aduersariorum  
argumentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)



culiariter laetari, & Deo vacare in memoriam eius. quod fecisse etiam veteres cognosci potest ex Ioanne Cassiano, col. lat. 19. cap. 1.

Quantum ad *SEX T V M*, licet imaginem pingere, & venerari, non tamen in templo constituere eo modo, quo aliorum Sanctorum.

Quoad *S E P T I M V M*, non licet reliquias non canonizati hominis in templo constituere publicè honorandas: licet tamen eas habere, & venerari, etiam aliis videntibus, modò scandalum absit; id enim habet praxis Ecclesiæ, mox enim: Martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias capiendas. & similiter quando moriuntur homines clari sanctitate, multi deuotè osculantur manus, & pedes, & de vestibus eorum pro reliquiis seruant; nec id vnquã prohibitum fuit. Præterea si licet honorare viuentes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?

Atque hæc pauca de canonizatione sufficiant: si quis plura videre desiderat, legat Augustinum Triumphum in Summa de potestate Ecclesiæ, & Troilum Maluetium in libro de canonizatione.

## C A P V T X I.

*Proponitur quæstio de cultu Sanctorum, cum aduersariorum argumentis.*

**R**XPEDITIS quæstionib. de gloria, & canonizatione, sequitur recto ordine controuersia de cultu. Fuit antiqua hæresis Eustachij apud Socratem lib. 2. hist. c. 33. Eunomij, & Vigilantij apud Hieronymum, Claudij Taurinensis apud Ionam Aurelianensem, & VViclefij apud Thomam VValdensem, tom. 3. de Sacramentalibus, tit. 13. Sanctos nõ esse colendos: quæ rursus per Calvinistas, & Lutheranos renouata est. nam Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 340. dicunt omnè Sanctorum adorationem esse idololatriam. pari ratione Calvinus lib. 1. Instit. cap. 11. §. 11. & cap. 12. §. 1. & 2. non patitur vllum cultum exhiberi sanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neq; paruum, neque magnum. Argumenta verò eius hæc sunt:

PRIMUM,



PRIMUM, duplex est honor: vnus ciuilis, quo honoramus potentes, & sapientes homines: alter religionis, qui Deo soli conuenit: sed Angelis, & sanctis hominibus non conuenit honor ille ciuilis, vt notum est, cum non versentur nobiscum ciuilitate: honor autem religionis non potest eis tribui, quia religio est cultus Dei, atque hac sua distinctione eludit Calvinus argumenta Catholicorum, cum probant posse creaturas adorari exemplo Abrahamæ, qui adorauit filios Heth; & Iacobi, qui adorauit fratrem suum Esau; & filiorum Israhel, qui adorauerunt Ioseph, vult enim istos omnes fuisse ciuiles cultus.

SECUNDUM argumentum: Si Sanctis deberetur cultus aliquis religionis; certè duliæ, non latriæ, vt Catholici docent: at ineptum est dicere, Sanctos coli, & non latria; nam cum latria significet cultum, colere sine latria, est colere sine cultu. deinde plus est δαλέειν quàm λατρέειν; nã δαλέειν est seruire, λατρέειν est colere, minus autem est colere aliquem, quàm ei seruire, colimus enim pares, vt amicos, & collegas, non autem seruimus, nisi dominis.

Confirmari potest hoc argumentum ex Laurentio Valla, & Theodoro Beza, qui in annotationibus ad capit. 4. Matthæi, docent, latriam, & duliam idem significare, & confundi tam in Scripturis, quàm apud prophanos auctores. nam Leuitici 23. *Opus seruale non facietis*, semper est in Græco ἐργον λάτρευτον ἢ ποιήσετε. & contra Roman. 7. *Vt seruiamus in nouitate spiritus*, est in Græco ὡς δαλέειν ἡμᾶς ἐν κληρότητι πνεύματος. Itaque dicitur latria de opere etiam in usum hominis, & dulia de cultu Dei. Item apud Xenophontem libro 3. Cyropediæ ponitur λατρέειν, pro obsequio ancillæ erga Dominum, & paulò post id ipsum dicitur δαλέειν: quare Augustinus quæst. 94. in Exodum dicit, tam latriam, quàm duliam Deo tribui, latriam vt Deo, duliam vt domino.

TERTIUM argumentum Caluini ex Scripturis, Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli serues*. Cui simile est illud Pauli 1. Timoth. 1. *Soli Deo honor & gloria*. Item Matth. 4. cum Diabolus non meminisset latriæ, sed solum postu-



postulasset *μεγαλύνειν*, id est, inclinationem aliquam, Dominus eum repulit, dicens: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serues.* ubi ostendit, non posse creature inclinationem ullam religionis causa deferri, quin illa ad idololatriam pertineat. Item Galat. 4. *Iis qui natura non sunt Dii, seruiebatis,* in Græco est, *ἐδουλεύσατε τοῖς ψόφοι ἢ τοῖς θεοῖς.* ergo dulia non potest tribui, nisi illi qui natura Deus est.

QUARTVM argumentum ab exemplis Scripturarum, nam Hester 13. Mardocheus noluit se inclinare coram Aman. & rationem reddens, ait: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Item Actor. 10. cum Cornelius adoraret Petrum, prohibuit Petrus, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum, nec tamen credibile est, aut Aman voluisse adorari ut Deum, aut Cornelium voluisse Petrum adorare ut Deum.* Item Actor. 14. Paulus, & Barnabas prohibuerunt Licaonibus ne se adorarent. Denique Angelus Apocal. 19. Ioanni adoranti ait: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.* Et tamen non ignorabat Angelus sibi à Ioanne non latriam, sed duliam exhiberi.

QUINTVM ex Patribus, Athanasius serm. 3. contra Arianos ante medium, docet, neque Angelos, neque homines sanctos adoratione colendos esse. Epiphanius in hæresibus Collyridianorum sæpius repetit, Mariam non esse adorandam, sed solùm Deum. Ambrosius in cap. I. ad Rom. reprehendit eos, qui adorant conseruos. AVGVSTINVS libro de vera religione, cap. 55. *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut adorantur honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante latantur meriti sui nos esse consortes.* Et infra idem dicit de cultu Angelorum.

Hæc illi.

